Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2271
Quelle:
Copyright:

Aiacis ſupra caput mons, ſupra montem *Chriſtus*, quem Poeta precatur, ut bellum civile comprimat, et *parvam Sareptam* (Wittebergam intelligo) protegat. Non igitur ante an. 1546. ſcriptum Carmen. *fol.* 1.

X. *Ivonis Ep. Carnotenſis* celeberrimi Scriptoris Sec. XII. Epiſtolae binae. *Prima* ad *Urbanum* II. Pont. Rom. quae incipit: *Vrbano ſummo Pontifici. Ivo ſpiritualis filius eius non ſeruilis timoris. ſed caſte dilectionis obſequium. Audiui neſcio quorum falſidicorum relatione* &c. Eſt in edit. *Pariſ. Opp. Ivonis* P. II. 1647. epiſtola LXXXVIII. ſed *Paſchali* Papae inſcripta. *Secunda*, quae in praedicta edit. ordine CLVI. eſt, ſic inchoat: *Ivo Dei gratia carnotenſis eccleſiæ miniſter dilecto ſibi in Chriſto fratri. O.* (Olrico) *Salutem. in literis tuis continetur* &c. *foll.* 3.

XI. *Confeſſio fidei Illuſtriſſimi principis Chriſtophori, Ducis Wirtempergenſis exhibita concilio Tridentino XXIIII. Januarij Anno M. D. LII.* Initium: *Cum agnoſcamus nos diuina clementia ad gubernaculum noſtræ Religionis et Reipub. uocatos* &c. Subſcripti ſunt Oratores, *Excel: D. Joannes Henricus Heckele de Stainach J. V. Doctor. Herr Hanns Dietrich von Plening.* Meminerunt Exhibitionis anno et die praedicto *Pallavicinus* et *Sarpius* in *Hiſt. Conc. Trid.* In concinnanda vero *Confeſſione* operam principem locavit *Job. Brentius*, qui et *Apologiam* ei deinceps adornavit, et ſeorſim et cum ipſa *Confeſſione* non ſemel editam. *foll.* 35.

XII. Statuum Imperii *Catholicorum Reſponſio* ad querelas *Proteſtantium*, et *Gravamina* his oppoſita germanice. Incipit: *Allerdurchleichtigſter* &c. *Aus Euer Kay. Mait. Allergenedigiſten beuelch, Iſt den bey diſer Löblichen Reichsverſamblung Anweſenden Catholiſchen Stenden, vnd der Abweſenden Rethen vnd geſandten zugeſtelt worden* &c. Scriptum iſtud oblatum eſt *Rudolpho* II. tempore Comitiorum *Ratisbonenſium* 1594. ait enim, Querelas ejusmodi jam annis 1566. 76. et 82. agitatas, et cum Imperatorem ipſum, tum ejus olim Patrem de iis ſententiam tuliſſe. Deeſt in *Lunigii* Collectionibus. Enarratur tamen in *B. G. Struvii Hiſt.* vernacula *Gravam. Relig.* P. I. c. 3. §. 38. *foll.* 20.

XIII. Petitio Auxilii contra *Turcas* nomine *Rudolphi* II. Imp. ad Electores et Circulos Imperii directa, non multo poſt praedicta *Comitia*, ut videtur. Incipit: *Aus der Röm. Kay. Mayt. dan zu diſer Sachen verordneten Commiſſarien überreichten Inſtruction an des Reichs Geiſtliche vnd Weldtliche Churfürſten ergangen, die wider gemainer Chriſtenheit Erbfeindt notwendige defenſiue hülff betrefendt* &c. Neque hujus meminit *Lunigius.* foll. 18.

XIV. Acta Circuli *Bavarici* directoribus *Wolfg. Diet.* Archiepiſcopo *Salisb.* et *Maximiliano Bav.* Duce *Müldorfii* 11. *Maji* congre-